

quemadmodum & heic decidendi ratio proxima sup-
peditatur eo, quod in latrone vitium hæreat juris
acquisitionem impediens; ita non minus per soluti-
onem pecuniæ, quam præstationem silentii, istorum
furciferorum malitia sublevatur, adeoque ex utroque
par periculum proximo imminet. Imo si in casu pro-
missi silentii juramentum attendi non debet, ex ea ra-
tione, ne proximus spoliationem aut aliud pericu-
lum incurrat, non minus absolvendi videbimur à
Jura mento in casu promissæ pecuniæ, quippe cujus
præstatio damnum nobismet ipsis infert; quod avertete
vi naturalis *Φιλανθίας* non minus obligati sumus.
Vid. D. Pufendorff *de officio Hominis & Civis*. Lib. I. cap. 5.
§. 5. & de J. N. & G. II. 4. 1. & II. 5. 1.

XI. Neque tutò sequitur; Non est iniquum sol-
vere pecuniam pro redimenda vita; Igitur si quid la-
troni jurato promiseris ex metu injusto, id servandum
erit. Nam aliud quid hîc sub est, quo ab impletione hujus
juramenti liberamur, vitium scilicet in latrone, quod est
injuria, quacum obligatio in altero consistere non po-
test. (Dn. Pufendorf. III. 6. 10. & seq. §. heic; non verò
solutio pecuniæ pro redimenda vita, quæ æqua an in-
iqua sit (simpliciter aut secundum quid) heic non
quæritur. Neque etiam admiserit quis *juramentum ta-
le firmare assertionem non promissionem*; cum in casu ex-
tortæ promissionis juratæ latronibus factæ *assertio, à
promissione non sit diversa*.

XII. Similiter quamvis distinguatur, an Ju-
ramentum vi & metu injusto extortum accesserit
promissioni rei possibilis & licitæ (v. g. pretii pro capi-
te,) an verò rei illicitæ; ut si prius, servandum sit ju-
ramentum, imprimis ubi cum electione factum, & sub
respectu majoris mali evitandi à scientibus & non planè
invitis: sin posterius, juramenti vis expiret, quod alio-
quin